



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Nemo piorum magistratui inique repugnat

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

demus uitam, ut mutemus mores. Si enim pijs et iusti fuerimus, impossibile est ut diu regnet tyrannus. SIMON.

Totus Israël à Roboam defecit à morte Solomonis, quod nimium eos pressit, idq; suo marte, 3. Reg. 12.

IOIADA. Cur non legis quæ illic sequuntur: Et non acqueuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum dominus, ut fuscitaret uerbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiae Silonitæ ad Hieroboam filium Nabat. Neq; his probare poteris ut liceat cuius impetum facere pro libidine sua in tyrannos. SIMON. Metuo ne hæc doctrina ignauos & socordes faciat homines, ut si quando dominus liberatorem mittat, dubitent de uoluntate domini. IOIADA.

Aliud cura. Vbi tam grandia incepit deus, non adhibet socordes & ignauos homines: sapientiam præstat, fidem, fortitudinem, robur, & ad destinatū finem omnia producit. Quod in Mose et Gedeone cæterisq; uidere licet. Ad pacem omnia dirigit pius. Deinde scit populum simul plecti si male regnant principes. Hæc pius & fidelem hominem anxium reddunt, & studio quodam pietatis accendunt, cautum reddunt & circumspicuum non audacem & præfractum, urgent ut deum anxie precetur, & die noctuq; de emendatione omnium eorum quæ contra deum fiunt cogitet. Iam deus uias ostendit quibus uota piorum perficiantur, nec deserit insperantes, non repellit ad se cla-

### L I B E R III.

mantes. SIMON. Qum impune sibi omnia  
licere uidet tyrannus indies peior fit & insolentior.

IOIADA. Quidquid uideat, hoc sibi certo  
persuadere debet, sibi si sceleratus esse pergit, certissi-  
mum imminere exitium. Nemo unquam impune tulit,  
si longanimitate dei sit abusus. SIMON. Cur  
ergo in superioribus dixisti, eos Iudeæ Gauloniti simi-  
les esse, non Christianos, qui magistratui non obediunt?

IOIADA. Quod nemo piorum magistratui re-  
pugnat. Nam quum apostoli monent ut magistratibus  
ethnicis pareamus, quis non uidet Christiano homine  
indignum esse, ut Christiano magistratui sese immori-  
gerum præbeat? SIMON. Recte illa diceren-  
tur, si magistratum haberemus Christianum. IO=

IADA. Magistratum Christianum uoco eum, qui  
in Iesum Christum baptisatus est, qui in Christum cre-  
dit, hunc confitetur, euangelium eius audit, quod &  
apud suos prædicari permittit, nec persequitur, scele-  
ribus et iniustitiæ (quantum fieri potest) obstat, malos  
qui publice offendunt, punit, et omnem curam hic in-  
tendit, ut gloria dei crescat, pie, honeste, & tranquil-  
le in republica uiuatur. Nec desunt tales in magistratu-  
hodie, gratiæ deo, quod uobis nemo persuadere po-  
test. Vos enim Christianum neminem censem, qui uo-  
bis non adhæret, qui doctrinam uestram non recipit,  
qui aqua à uobis accepta non abluitur, utcunq; hæc  
uestra